



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

Parisiis, 1644

Seqvntvr Concilia Africana Svb Innocentio Habita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

ANNO
CHRISTI
414

rint, venerandus episcopus, qui huic sedi præsidet, omnium nomine dictare & subscribere dignetur, in quibus etiam ad episcopos legatos, qui per pro- uincias Africanas in causa Donatistarum mittendi sunt, placuit literas dari, tenorem mandati conti- nentes, quem non egrediantur. Et subscripserunt: Aurelius episcopus ecclesiæ Carthaginensis, huic Decreto consensi, & prælecto subscripsi. Similiter & ceteri episcopi subscripserunt.

SEQVNTVR CONCILIA AFRICANA
SVB INNOCENTIO HABITA.

In hoc Concilio præterita Decreta firmantur.

MILEVI-
TANVM I.

GLORIOSISSIMIS imperatoribus Arcadio & Hono- rio Augustis viris clarissimis consulibus, sexto Ka- lendas Septembris, in ciuitate Mileuitana, in secreta- rio basilicæ, cum Aurelius episcopus Carthaginensis in Concilio vniuersali consedisset, adstantibus diaconibus, Aurelius episcopus dixit: Quoniam ecclesiæ sanctæ vnum est corpus, omniumque membrorum caput est vnum, fa- ctum est, volente Deo, & nostram infirmitatem iuuante, vt ad hanc ecclesiam veniremus, dilectionis & fraternita- tis gratia inuitati. Vnde quæso caritatem vestram, quia ita credendum est, (quia noster accessus ad vos nec super- fluus, nec insuauis est cunctis) vt consensus omnium ve- strum manifestetur concordare complacitis Decretorū, quæ iam dudum vel Hipponensi Synodo firmata sunt, vel postmodum meliore Concilio apud Carthaginem defini- ta, nunc quoque nobis ex ordine recitentur. Tunc de- mum fraternitatis vestræ concordia luce clarior appare- bit, si hæc, quæ a nobis superioribus Conciliis legaliter de- finita noscuntur, non solum consensu vestro his actis, ve- rum & subscriptionibus manifestis. Xanthippus episco- pus primæ sedis Numidiæ * sua manu confirmauit, sub- scribendo etiam nobis placere posse, & nostra subscriptio- ne firmamus. Nicetius episcopus primæ sedis Mauritanie

De loco, tempore, causa, aliis- ve quibus- dam gestis huius Con- ciliij, vide notas Con- ciliij Mile- uitani I. su- pra sub In- nocentio.

* Dixit: Credo, quod omni fra- ternitati

Sitiphensis dixit: Quæ recitata sunt Decreta, quoniam ratione non carent, & sunt approbata cunctis, etiam & meæ paruitati hæc placent: quæ quidem propria subscriptione firmabo.

ANNO
CANONI
414.
placuit,
& statuta
sua manu
cõfirm-
uimus.

LIII.

In Cõcilio
Mileuita-
no, cap. 13.
Cod. Can.
cap. 87.

Valentinus episcopus dixit: Si permittit bonum patientiæ vestræ, prosequor ea quæ præterito tempore in ecclesia Carthaginensi gesta sunt, & subscriptionibus fratrum firmata claruerunt, & iam nos * hæc seruatu-
ros esse profiteor. Sed illud scimus, inuiolate semper mansisse ecclesiasticam disciplinam, ita ut nullus fratrum prioribus suis se aliquando auderet antepone-
re, sed officiis caritatis id semper exhibitum est prioribus, quod ab insequentibus gratanter semper acciperetur. Hunc ordinem iubeat sanctitas vestra melius vestris interlocutionibus roborari. Aurelius episcopus dixit: Non decuerat quidem ut hæc repeteremus, nisi forte existerent inconsideratæ mentes quorundam, quæ ad hæc statuenda nostros acuerent sensus. Sed & communis hæc causa est, quam insinuauit frater & confacerdos noster, ut vnusquisque nostrum ordinem sibi decretum a Deo cognoscat, * & ut posteriores anterioribus deferant, nec eis inconsultis aliquid agere præsumant. Qua de re dico (prout captus animi mei retinet) eos qui putauerint, spretis maioribus, aliquid præsumendum, competenter ab omni esse Concilio coercendos. Xanthippus episcopus primæ sedis Numidiæ dixit: Audiuit omnium fratrum præsentia prosecutionem fratris & confacerdotis nostri Aurelii. Quid ad hæc responderunt? Datianus episcopus dixit: Quæ maiorum

* ex hoc

* ne posteriores
anterioribus se
præferant.